



**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXXVII. Si Episcopus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](#)

170 Decret. Greg. Lib. III. Tit. V. Cap. XXXVII. &c.

esse inter gratiam factam, & faciendam; gratia facta alicui, puta si Papa Romæ alicui **Canonicatum** contulerit, constituto executori, & postea statim moriatur, non extinguitur, sed manet, consequenter etiam executio, tanquam gratiæ accessoria, fieri paret. At vero gratia alicui facienda ab ipso mandatario, seu executore, exspirat concedentis morte, si res integra sit, seu nondum cœpta executioni mandari, puta si Papa jussit Episcopo, ut **Canonicum**, si vacet, vel proximè vacarit, conferat Titio, qui est casus hujus Capituli.

CAPITULUM XXXVII.

Si Episcopus.

P A R A P H R A S I S.

Dubitatum fuit, si Episcopus v.g. Augustanus alteri Episcopo licentiam concessit in eadem Augustana diœcesi ordinandi, isque Sacrum Ordinem contulit Clerico non habenti sustentationis titulum, uter Episcopusei necessaria providere debeat, donec beneficium consecutus fuerit, ordinans, an is, qui ordinationis licentiam concessit. Responder Bonifacius VIII. si Episcopus proprius alteri Episcopo ordinandi licentiam indeterminatè commisit, ipse metu ordinans providere debet, cum in culpa fuerit, sine titulo aliquem ordinando; sin vero certas personas commisit, qui sustentationis titulo carebant, Episcopus, qui commisit, providere eis debet, donec beneficium ipsis contulerit; quod si vero Episcopus Clerico suo dimissorias concesserit, ut à quoconque voluerit, Episcopo Ordines accipere possit, is, qui talem licentiam tribuit, vitæ necessaria providere deberet, propterea, quod talem licentiam cum dare non oportebat ijs, qui sustentationis titulum non habent.

S U M M A R I U M.

1. *Licentia alteri indeterminate concessa, ut Ordines in diœcesi non sua con-*

ferat, intelligi debet, sicuti Sacri Canones exigunt.

2. *Qui literas dimissorias generales alteri dat, titulum sustentationis non habenit, ipse tali providere debet, nisi solita clausula sibi caverit.*

Notandum primò. Si Episcopus fulfraganeo suo indeterminatè, & generali committat, ut ordinationem faciat, intelligi debet, sicuti Sacri Canones requirunt, idéoque ut ordinandi habeant titulum sustentationis, quare si Clericum rursum carentem in sacris ordinaverit, ipse ei providere cogitur. Consentint, quædixi in c. Episcopus 4. hoc tit.

Notandum secundò. Si Episcopus subdito suo sustentationis titulum non habent literas dimissorias generales det, ipse metu providere debet; verumtamen cautelam dimissorijs apponi solitam refert hic Gl. *dummodo vobis constiterit de titulo sustentationis sufficiente, in quo conscientiam vestram oneramus.* Sin autem talis clausula non sit apposita dimissorijs, præterim, si speciales sint, seu ad certum tempus definitæ, tunc is sollicitus esse non debet de titulo sustentationis, sicuti dixi in cit. c. 4.

CAPITULUM XXXVIII.

Quamvis.

P A R A P H R A S I S.

Pontifex cuidam Episcopo facultatem concessit sex beneficia, auctoritate Apostolica, conferendi, si vacaverint per obitum, vel renunciationem; postea vero cum unum ex his beneficijs vacaret, Papa scriptis cuidam alteri executori, ut certa persona conferret. In hoc casu Episcopus collationem facere non potest, propterea quod gratia generali derogatur per gratiam specialem, licet in amentio non fiat gratiæ generalis. Similiter ratione si Pontifex alicui Episcopo concesserit facultatem conferendi beneficia diœcesis suæ, quorum collatio ad Sedem Apo-